

1/
19

2.

3.

4.

5.

6.

7.



5
JOH. ULRICI CRAMERI,

J. U. ET PHIL. D. AC PROFESSORIS JURIS ORD.
IN ACADEMIA MARBURGENSI

PROGRAMMA

DE

ÆSTIMATIONE
I N J V R I Æ

SERVO COMMUNI
ILLATÆ,

QUO

ANTINOMIA

Inter §. 4. Inst. de Injur. & l. 16. ff. d. t.

A
SUMMIS JCTIS PRO IRRESOLUBILI HABITA;

PER

DEMONSTRATIONES MATHEMATICAS

NULLA ESSE

EVINCITUR,

ET

LECTIONES AD PANDECTAS

DIE XXIII. APRIL. A. MDCCXXXVI. H. X. INCHOANDÆ

INTIMANTUR.

MARBURGI CATTORUM,

Typis PHIL. CASIM. MÜLLERI, ACAD. TYPOGR.

Brig. num. 26.

4

1736, 3.

P. 436



JOH. JULIUS CRAMER

REGIAMINA

ESTIMATIO

IN JURE

REVO. COMITAT.

ILL. MAG. J. C.

STATIONI


REMISSIO

REMISSIO

REMISSIO

REMISSIO

REMISSIO





i communi Servo injuria facta sit, æquum est, inquit IMPERATOR (a), non pro ea parte, qua Dominus quisque est, æstimationem injuriæ fieri; sed ex Dominorum persona: quia ipsis fit injuria. Contra PAVLVS (b): Sed non esse æquum pro majori parte, quam pro qua dominus est, da-

mnationem fieri, PEDIVS ait, & ideo officio judicis portiones æstimandæ sunt. CVJACIVS, HOTOMANVVS, A COSTA, VVLTEJVS (c), Sidera Orbis Juridici vere majora irrefolubilem has inter Leges cernunt Antinomiam. Quoniam vero juxta monitum CARDINALIS TVSC. (d) interpretatio (quoad licet) ita faciendâ, ut evitetur contrarietas, misere se torquent alii JCTi ad dispellendam hujus Antinomix apparentiam. Cum ACCVRSIO MARCILIVS, GIPHAN. HARPRECHT, aliiq. d. §. 4. restringendum censent ad casum, quo utriusque Domini dispar est conditio, & in d. l. 16. condo-

A 2

mino.

(a) §. 4. Inst. de injur.

(b) L. 16. ff. d. t.

(c) ad §. 4. Inst. cit. Tit.

(d) Pract. Conclus. 1008.

minorum parem conditionem supponi existimant. Alii ut
MYNSINGER, & **SCHNEIDEWIN** volunt d. §.
 4. intelligendum esse de casu, si injuria dominorum in-
 tuitu, Legem 16. vero de eo, si simpliciter five ipsius Servi
 contemplatione facta sit. Alii putant d. l. 16. referri
 tantum non etiam probari **PEDII** sententiam. Alii
 vero eandem Legem de Lege Aquilia agere malunt.
 Alii pro *non est equum*, legunt *non est iniquum*,
 innixi **ACCURSII** auctoritati hanc Codicum variantem
 Lectionem notantis. Alii alias pro ingeniorum varietate
 excogitant compositiones, quibus recensendis tædet immorari.
 Hoc saltem inculcaverim **AVERANIVM** celeberrimum
 illum **JCTum Pisanum** in Aureo **INTERPRETATIO-**
NVM JVRIS opere L. i. c. xxi. multa ex Libris Geometra-
 rum depromsisse sese dicere exempla atque demonstrationes,
 quibus ostenderet eandem esse divisionem a **PAVLO** & a
JVSTINIANO factam eandemque injuriæ astimatio-
 nem, iis tamen superferendum existimasse, ne stomachum
 moveret **JCTis** sui temporis nimio plus delicatis & Mathe-
 sin fastidientibus. Quales fuerint istæ demonstrationes, con-
 jectura assequi vix licet deficientibus datis. Inquirenti ta-
 men, juxta veritatem Mathematicam in astimationem In-
 jurie ingenere, & communi Servo factæ in specie; depre-
 hendi per eam omnium evidentissime tolli contradictionem
 inter **PAVLVM** & **JVSTINIANVM** non nisi appa-
 rentem, seu ex istis principiis Euclidea certitudine demon-
 strari, nullam adesse contradictionem sed utramque Legem
 esse combinandam si principiis juris conveniens esse debet.
 astimatio & damnatio. Nostrium Seculum Luminosius est.
 quam ut accurata veritatis cognitio fastidiatur. Quamob-
 rem religioni mihi non duco, demonstrationes dare Ma-
 thematicas, ubi Argumentum est Mathematicum. ctsi ad
 Jus

Jus pertinens. Quodsi qui fuerint, qui contemnunt quæ non intelligunt, vel censoria virgula notant, quod imitari nesciunt, illorum censuras contemno: si enim earum habenda esset ratio, nil præstari posset quod egregium. In æstimandis injuriis respiciendum tum ad actum quo injuria infertur, tum ad personam cui infertur: quod in exemplis patet, nemine dissentiente & ex §. 7. & 9. Inst. de Injur. clarissime elucet. Inde sine probatione sumi potest

A X I O M A 1.

Si actus injuriosus fuerit idem, magnitudines injuriarum, sunt in ratione dignitatum personarum.

A X I O M A 2.

Si persona læsa fuerit eadem moraliter scilicet, hoc est si plures fuerint ejusdem dignitatis; magnitudines injuriarum sunt in ratione actuum injuriosorum.

T H E O R E M A 1.

Si actus injuriosi & personæ inter se differunt, seu illi fuerint diversi & hæ pariter diversæ; magnitudines injuriarum sunt in ratione composita dignitatum & actuum.

D E M O N S T R A T I O.

Ponamus personæ dignitatis D . actu A . inferri injuriam, & alteri dignitatis d actu a ; dico magnitudines injuriarum esse $= DA:da$. Sint enim tres personæ, quarum duæ sint ejusdem dignitatis, tertia diversæ. Personis diversæ dignitatis inferatur injuria actu eodem a . Quodsi M & μ denotent magnitudines injuriarum illatarum; cum eadem sint in ratione dignitatum *per ax. 1.* $M:\mu = D:d$. Ponamus jam porro personis diversæ dignitatis inferri injuriam diversis actibus A & a ; cum magnitudines injuriarum sint in ratione actuum *per Ax. 2*; si eadem dicantur m & μ , erit $\mu:m = A:a$. Enimvero si fuerint quatuor

A 3

quote

quotcunque quantitates proportionales & totidem alia inter se quocque proportionales, & posteriores singulae in singulas priores ducantur; facta inter se proportionalia (§. 213 Arithm. Lat). Quare $M\mu : m\mu = AD : ad$. Quod si duas quantitates veluti $M\mu : m\mu$ per eandem μ divides, quoti M & m sunt inter se ut quantitates divisae (§. 181. Arithm) hoc est, $M : m = Mm : m\mu$. Est vero $M\mu : m\mu = AD : ad$, per demonstrata. Ergo cum rationes similes eidem tertiae sint similes inter se (§. 167 Arithm); erit $M : m = AD : ad$, hoc est magnitudines injuriarum duabus personis actibus diversis illatarum sunt in ratione composita dignitatum & actuum injuriosorum. q. e. d.

SCHOLION.

Ex gr. ponamus dignitates duarum personarum esse in ratione tripla, seu dignitatem unius esse triplam alterius, & actum injuriosum, qui committitur in digniorem esse sub quadruplum ejus, qui committitur in alterum; erit $D = 3$, $d = 1$, $A = 1$, $a = 5$, adeoque magnitudines injuriarum ut 3 ad 5, ita ut, si injuria dignioris valeat ter centum aureos, injuria multo gravior alterius, etsi dignitate inferioris valeat quingentos. Nimirum gravitas actus supplet defectum dignitatis & auget magnitudinem injuriae seu estimationem, quemadmodum loquuntur Jcti. Nimirum semper conservanda est in estimatione eadem & dignitatum, & actuum injuriosorum ratio: si secus fiat, nulla est in estimatione veritas, quam sine theoremate demonstrato, adeoque sine theoria Mathematica assequi minime licet, quin potius continue apparebunt contradictiones, si plures estimationes inter se conferre libuerit. Hisce praemissis intelligi porro potest, quomodo sese habeat estimatio injuriae Servo communi illatae. Cum plurimis dominis, veluti duobus, injuria

injuria inferatur in eodem Servo; actus injuriosus hic semper idem est. Quoniam itaque actu existente eodem magnitudines injuriarum sunt in ratione dignitatum, per ax. 1. in estimatione comparativa tantummodo attenduntur dignitates dominorum. Quoniam tamen Domini Servi communis unam constituunt personam moralem, cuilibet eorum tantummodo pro parte Domini injurians condemnari debet, non vero in solidum, seu integram estimationem ipsi competentem, si Dominus in solidum esset. Atque adeo patet attendi quoque debere partem Domini, si estimatio rite fieri debet. Denuo igitur sine probatione sumi potest.

AXIOMA 3.

Si duo Domini fuerint ejusdem dignitatis & ipsis competunt Domini partes æquales; magnitudines injuriæ in Servo communi ipsis illatæ erunt æquales, hoc est tanti estimanda injuria unius, quanti alterius.

SCHOLION.

Nec ulla adest diversitatis ratio, cum utrobique omnia, quæ estimationem ingrediuntur sint eadem. Idem est actus injuriosus, eadem utriusque Domini dignitas, eadem denique pars Domini. Hinc demonstratur.

THEOREMA 2.

Si duo Domini ejusdem dignitatis injuria afficiuntur in communi Servo, magnitudines injuriarum erunt in ratione partium Domini.

DEMONSTRATIO.

Si partes Domini fuerint æquales, injuriæ illatæ singulis æquales erunt, per ax 3. Ergo si unus habuerit unam Domini partem, alter duas hujus injuria æquipollet injuriis duobus Dominis illatis, adeoque erit dupla injuriæ alterius. Et eodem

eodem modo patet, si unus habuerit partem Dominiū unam, alter tres; injuriam hujus esse triplam alterius. Cumque idem eodem modo obtinere debeat in ratione quacunque multipla & submultipla, immo in quacunque alia; si rationes partium Dominiū fuerint ut *m* ad *n*, erunt quoque injuriæ in eadem ratione *m* ad *n*. *q. e. d.*

THEOREMA 3.

Magnitudo injuriæ Domino uni in Servo communi illatæ est ad magnitudinem quæ infertur Domino in solidum, in ratione partis Dominiū ipsi competentis ad totum.

DEMONSTRATIO.

Etenim si in solidum Dominus esset, ipsi soli inferretur injuria, adeoque hæc tota ad ipsum pertineret. Etenim vero cum sit tantummodo pro parte Dominus, injuria quoque ad ipsum nonnisi pro parte Dominiū pertinet, quæ ei competit *per theor. 2.* Quamobrem magnitudo injuriæ in Servo communi eidem illatæ est ad magnitudinem, quæ ipsi Domino in solidum inferretur, in ratione partis Dominiū ad totum.

SCHOLIUM.

Exgr. Si injuria estimaretur 100. aureorum, quæ ipsi in solidum Domino inferretur in Servo, & sit tantum pro parte dimidia Dominus, injuria ipsi illata valebit 50. aureorum. Dicamus injuriæ magnitudinem absolutam quæ Domino in solidum inferretur; respectivam vero, quæ pro parte Dominiū infertur, patet per theorema præsens.

COROLLARIUM

Injuriæ magnitudinem respectivam inveniri sumta ea absoluta parte pro qua quis Dominus est, hoc est absoluta in partem Dominiū ducta veluti in $\frac{1}{3}$, si quis pro tertia parte fue-

te fuerit Dominus ; in $\frac{2}{3}$, si pro duabus.
Hinc deducitur porro.

THEOREMA 4.

*Si duo pro eadem parte domini diverse dignitatis in Ser-
vo communi injuria afficiuntur, magnitudines injuriarum
sunt ut dignitates.*

DEMONSTRATIO.

Etenim si ambo forent in solidum Domini actu inju-
rioso existente eodem *per hypoth.* magnitudines injuriarum
forent ut dignitates *per Axiom. 1.* Quoniam vero pro par-
te tantummodo Domini sunt *per hypoth.* erunt eadem ut
dignitates per 2. divisā *per Cor. Theor. 3.* Sunt vero partes
æquales *per hypoth.* & si duæ quantitates per eandem divi-
dantur, quoti sunt ut quantitates divisā (*§. 181 Arithm.*).
Ergo magnitudines injuriarum respectivæ sunt ut dignitates.
Q. e. d.

Denique ex præmissis demonstratur etiam

THEOREMA 5.

*Si duo pro diversa parte Domini diverse dignitatis in-
juria in Servo communi afficiuntur, magnitudines injuria-
rum sunt in ratione composita ex directis dignitatum & par-
tium domini.*

DEMONSTRATIO.

Etenim si uterque esset Dominus in solidum, magni-
tudes injuriarum absolutæ forent ut dignitates D & d *per
Ax. 1.* Quoniam vero tantummodo pro parte Domini sunt
per hypoth. si partes fuerint ut $\frac{m}{c}$ ad $\frac{n}{c}$, erunt magnitudines
injuriarum respectivæ ut $\frac{Dm}{c}$ ad $\frac{dn}{c}$ *per Cor. Th. 3.* Sunt
igitur ut mD ad nd (*§. 178 Arithm.*), adeoque in ratione
composita ex directâ dignitatum D & d , & partium m & n .
Q. e. d.

Ex dictis patet, JUSTINIANVM, qui affirmatio-
nem

nem injuriæ fieri jubet ex persona Dominorum, loqui de magnitudine absoluta, quæ est ut dignitas Domini *per demonstrata*; PEDIVM vero, quem sequitur PAVLVS dum damnationem fieri debere ait pro ea parte, qua quis Dominus est, de magnitudine respectiva, quæ est ut absoluta in partem domini ducta *per antea demonstrata*. Etenim in respectiva non absoluta fit condemnatio: absoluta autem facit ad æstimationem, nec aliter æstimatio fieri potest ab iis qui theoriæ Mathematicæ sunt ignari. Quodsi igitur utrique Legi simul satisfacias quemadmodum in damnatione fieri debet; satisfacit Theorema quintum. Ponamus cum AVERANIO magnitudines absolutas injuriarum esse 1000 aureorum & 100 aureorum, & unumquemque pro parte dimidia esse Dominum; erunt igitur magnitudines respectivæ, ut 500 ad 50. Vnde ratio magnitudinum respectivarum 500:50=10:1. Ponamus partes Domini esse ut 3 ad 1 seu ut $\frac{3}{4}$ ad $\frac{1}{4}$; erunt magnitudines respectivæ $\frac{3000}{4}$ ad $\frac{100}{4}$, adeoque inter se ut 3000 ad 100=30:1. Nimirum magnitudines absolutæ sunt ut 1000 ad 100, hoc est, ut 10 ad 1. Vnde magnitudines injuriæ respectivæ ut 30 ad 1, quemadmodum vult Theorema quintum. Ex hisce discas velim Antinomias a Summis Viris pro inexplicabilibus venditari posse, quæ tamen solutu faciles, modo genuina principia Philosophica & Mathematica una cum Methodo Systematica adhibeantur. Procul ergo absit, ut præcipiti cursu ad castra CVJACH & ejus sequacis BACHOVII (e) transeamus puerilem heresin persuasionem illam appellantium, qua nullum contrarium in liberis Juris extare creditur. Hactenus nil offendi, quod asserto JUSTINIANI (f) obstaret, in toto eo opere quod per Tribonianum curavit, nullum contrarium inveniri posse, si quis diversitatis rationes excutiat. At cer-

(e) ad Treud. V. 2. D. 13. Th. 4. Lit. 1. & K.

(f) Præfat. de confirm. D.

to certius est, quod ista diversitatis discussio necessario Philosophiam pragmaticam, Matheseo perviam, & habitum demonstrandi requirat quem hac ipsa facillime acquirere datur. Hinc AVERANIVM multum operæ ac temporis disciplinis Mathematicis impendisse non pœnituit, prout ipse ingenue confitetur (g). Quæve CVJACIVS de Philosophiæ utilitate judicaverit, ex Epistola ad Filium, quæ Tractatui ad AFRICANVM Sexto præmissa, colligi potest, qua, *placere*, inquit, *si velles etiam nosse, quod Philosophi scripserunt, non ea tantum parte, quæ ad Jus pertinet, verum & cæteris.* Frustra vero hanc utilitatem a Philosophia alia quam WOLFIANA, a Mathesi alia quam quæ Methodo PHILOSOPHI, quæ ipsissima naturalis est, pertractata expectaveris. Luculenta ejus rei tam a me quam aliis edita extant Specimina. Applicata ad easdem materias aliam Philosophiam, Methodum aliam, ubi vis aquam hæere vimque concludendi deesse deprehendes. Et multo magis in ipso Systemate Juris, quod jam sub prelo sudat, hujus Philosophiæ, Methodi hujus indispensabilem demonstraturus sum usum. Felicem ergo deprædico statum Academicarum præsentem, quod hæc Philosophia & Methodus non solum distincte in plerisque doceantur, sed & ad Facultates superiores applicentur. Sunt equidem qui propterea Statum nonnihil turbidum & minus hic illic faustum in Academicis Protestantium ejulantes conqueruntur. At

--- -- -- -- -- *Quis, talia fando
Temperet a lacrymis.*

Quæso an is status turbidus vocandus, qui in disciplinis non amplius garrulitatem istam admittit, profligatis battologiis & Patriisticis declamationibus ut plurimum aures saltem demulcientibus? An is status minus faustus est, quo omnia in Facultatibus superioribus ad notiones & propositiones de-

B 2

ter-

(g) e. l. p. 255.

terminatas rediguntur, nilque precario ut moris erat & hodiernum hic illic est admittitur, sed quodvis assertum pro incerto declaratur, quod veri nominis demonstratione non nititur? Dicam igitur apertius cur status hodiernus Academicarum adeo tetricus nonnullis videatur, ne lateant Catoniani hujus superciliosæ frontis arbitrii rationes. Nam Oedipo non opus, nec est cur dissimulem. Turbidus videtur, quoniam singula de quibus mentionem injeci, & alia quæ hodie in Academicis tractantur, Censorum horum transcendunt captum, qui tamen in Eruditione sibi videntur Gygantes. In vulgus enim notum, Artem non habere osorem nisi ignorantem: sed & tales deprehendentes hosce Arrosores. Nunquam ubi Rhodus saltant, sed quæ impugnant odiosa saltem reddere gestiunt, stentorea voce clamitantes, hanc Methodum, hanc Philosophiam ducere ad Naturalismum, Atheismum, Spinofismum, Pelagianismum, & nescio quos ismos, illud superaddentes:

-- -- -- *barbatum hoc crede Magistrum*

Dicere.

Fac interim periculum, quare ex iis regulas Methodi, quin Theorematis saltem; magis muti erunt quam pisces. Quale ergo ipsorum de Methodo Judicium? Solidum scilicet. Explicabo quoque cur ipsis status Academicarum minus faustum appareat. Metuunt ne ex Academicis redirent, qui ipsos stupenda admiratione colere desinerent. Quod profecto minus faustum esset. Similem ob causam Venerabile illud caput Halense statum presentem Academicarum minus faustum iudicat, quod Magistri in iisdem Legentes, Professorum auctoritati, applausum omnem intercipiendo, multum detraherent. Euge, belle, lepide

Dicite Jo Paan & Jo bis dicite Paan!

Memini hic illius ex PLAVTO:

Non places: cum recte mones tunc Tibi auscultabimur.

❁) ○ (❁

Marburg, Drss., 1736-37

ULB Halle

3

005 359 791



1018





Brig. num. 26.

4

1736, 3.

JOH. ULRICI CRAMERI,

J. U. ET PHIL. D. AC PROFESSORIS JURIS ORD.
IN ACADEMIA MARBURGENSI

PROGRAMMA

DE

ÆSTIMATIONE

IN J V R I Æ

SERVO COMMUNI

ILLATÆ,

QUO

ANTINOMIA

Inter §. 4. Inst. de Injur. & l. 16. ff. d. t.

SUMMIS JCTIS PRO IRRESOLUBILI HABITA;

PER

DEMONSTRATIONES MATHEMATICAS

NULLA ESSE

EVINCITUR,

ET

LECTIONES AD PANDECTAS

DIE XXIII. APRIL. A. MDCCXXXVI. H. X. INCHOANDÆ

INTIMANTUR.

MARBURGI CATTORUM,

TYPIS PHIL. CASIM. MÜLLERI, ACAD. TYPOGR.

